

1683,79
O. B. B. V.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ASTHMATE,

Quam

AUTORITATE ET SUFFRAGIO

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

in illustri Salanâ,

P R Ä S I D E

DN.

RUDOLFFO WILHELMO

Krauß /

Phil. ac Medic. D. Pract. & Chim. Profess.

Publ. Ord. Facultat. Med. Seniore gravissimo, nec non

S. R. I. Academ. Nat. Curiosor. Collegâ
primario,

Domino Patrono ac Preceptore suo maximè suspicioendo,

PRO LICENTIA

Summos in Medicinâ honores consequendi,
publicæ disquisitioni subjiciet

MAURITIUS HÜSELITT,

Kerbelizio-Magdeburgensis.

A.D. April. Ann. M DC LXXXIII.

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ
LITTERIS NISIANIS.

DIGESTATI O HANSGRÆS MEDICÆ

ÆSTAMHTSA

ÆSTORIATATE ET SUTRÆGO

ÆGYDIOSE LÆKURINN MEDICÆ

P E A S I D A

RUDOLPHO WILHELIOM

ÆSTORI

ÆGYDIOSE LÆKURINN MEDICÆ



Ntiquitatem refert *Masenius Spec. veritatis occult.* Junoni templum sine tecto & foribus exstruxisse, ut innueret, AEREM non includendum loco, sed omnibus communem esse, ac patere debere, cum ad vitam maximè necessarius sit.

Inevitabilem hujus usum secum perpendens Imperator Orientalis *Papblagon*, nusquam sibi uberiorem quantum spospondit, quam ex hoc, si eidem vestigal imponearet. Vid. *Jac. Pontanus bellarius Atticus pag. 820. & 821.*

Arctissimum aeris cum vita nexum innuit Galenus
6. de loc. affect. c. 5. ubi spirationem a vita, & vitam a spi-
ratione separari non posse asserit, adeo, ut vivens omnino
spiret, & spirans omnino vivat.

Operam ego frustra insumerem, si hoc, utpote quod
fana ratio probat, & experientia, dubiorum victrice edo-
cet, prolixis autorum testimoniiis adstruere conarer. Suf-
ficiat ergo hic adduxisse Nobilissimi & Excellentissimi Dn.
D. Wedelii, Preceptoris & Promotoris mei atatem colendi,
in physiolog. med. p. 160. testimonium, quod scilicet aëris

A 2 introi-

introitus & exitus si præcludatur, circulationis negotium
& vita periclitentur, id quod experimento Chicotii probat;
ut & nominasse affectum commiseratione dignissimum,
A S T H M A, cum salvi ac incolumes habitи quoad ceterа,
huic autem obnoxii, spe citius, denegato spiritu, æquè, ut
in anginā vitæ discriminem incurant; & cuius gravitate per-
moti Jurisconsulti asthmaticos juxta ac hystericas à tor-
turā criminali absolvunt, de quo *Ammann. med. crit. cas.*
19. & *Paul. Zaccb. quæst. medico-legal. l. 2. t. 2. q. 4.*

Hujus itaque affectus scrutinium loco **SPECIMI-
NIS INAUGURALIS** suscipiemus: Fxit D E U S, ut fe-
liciter!

CAPUT PRIMUM

De

σοματολογία atque πνευματολογία asthmatis.

Dissertaturo melioris methodi ergo, & ad evitandas inu-
tiles Λογομαχίας incumbit dilucide tradere, quid res, circa
quam versatur, sit, & in quibus cum aliis conveniat, aut dis-
crepet. Cumque id ipsum etiam mearum partium esse vi-
deatur, primam curam nominis evolutioni impendam.

A S T H M A natales suas debet Græciæ, ubi vel à verbo
ἀσθμα cano, ἀσθμα cantilena & nostrum ἀσθμα juxta Schrevelium
in lexico, & Cappar. Hoffmann. in institut. ortum; vel à verbo
ἀσθμά, quod τὸ ἀθρίως προσπνέειν, hoc est cum anhelitu re-
spirare denotat, & in hoc significatu frequenter in usu est
Græco scriptori Areteo; ut adeò asthma per anhelitum seu
anhelitionem Latinis recte exprimi putemus. Qui enim af-
fectu asthmatico laborant, dense, cum anhelitu, sono etiam
spiritum ducunt; dicant hoc alii ægros tales canere, per me-
liceat, quia nihil ad curationem facit. Natus hinc videtur

vul-

vulgatus ille, magisque memoriaz, quam imitationi interviciens versus. Dyspnoea se celat, canit asthma malumque revelat.

Quamvis verò difficilis respirationis diversæ in praxi nō tentur species, quæ gradu potissimum differunt; confundunt tamen inter se quandoque asthma, dyspnoeam & orthopnoeam etiam ab ipso Hippocrate, Galeno & Areteo notat Foëlius in Oeconom. Hippocrat. sub hac voce.

Ex recentioribus quoque idem faciunt plures. Ita non satis eas distingvit Junkerius de dietâ c. 14. Sennert. med. pract. l. 2. p. 3. c. 2. & Sylvius, qui ob discriben parvi pensum virgulam Ammanni subit in Paracelsus ad discentes pag. m. 152. Plura de confusione & differentiis horum nominum annotavit Bartoleitus Meth. de diffic. resp. l. 2. Synops. 3. c. 4. p. 69. & Syn. 4. c. 5. p. 67.

Optimè, secundum plurimorum autorum sententiam, Celsus singulas species distinctim exponens l. 4. c. 4. de diff. respirandi ait: Est circa fauces malum, quod apud Græcos aliud atque aliud nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit: Sed hæc, dum modica est, neque extoto strangulat, dyspnoea appellatur: cum vehementior est, ut respirare æger sine fono & anhelatione non possit, æd. p. 12: cum accessit id quoque, ut non, nisi erectâ cervice spiritus trahatur, orthopnoea.

Est itaque asthma densa, frequens & laboriosa respiratio, quæ Hippocrati πνοη, Hesychio ὄξισις, Latinis anhelatio, item suspiriosus anhelitus, aliis suspirium nominatur, ceu videtur est apud Plinii, it. Senecam, qui in Epist. 33. pag. m. 134. addit: Omnia corporis aut incommoda, aut pericula per me transierunt, nullum mihi videtur hoc molestius; quid ni? aliud enim quicquid est, ægrotare est: hoc est animam agere, itaque medici hanc meditationem mortis vocant. De quo etiam videatur Job. Rhodius in emendat. & not. ad Scribon. Larg. comp. 76. Helmonius asthma siccum epilepsiam, morbum caducum pulmonum & comitialem vocat. Germani dicunt der kurze oder schwere Athen/das Reichen/die Engbrüstigkeit/der Dampsf/vulgaris der Dumpf.

His præmissis asthma definimus, quod sit respiratio valde difficult, frequens, densa & plerumque sonora à pulmonum motu, expansione scilicet & collapsu debito, aerisque sufficientis receptione præternaturaliter prohibito ortum dicens.

GENUS proximum posuimus respirationem difficultem.

Liquet hoc in asthmaticis non solum ipsorum sensuum, imprimis oculorum & aurium; sed etiam auctorum testimonio. Galenus l. 7. de comp. med. ait, asthma est ægritudo pulmonum, per quam patiens citra febrim densè & crebro respirat, quater cursores. Prolixius hoc exponit Platerus tract. de funet. lexis. l. 2. c. 4. p. 415, dicens, ægros in asthmate cum difficultate crebram, ac si nimio motu fatigati essent, ducere respirationem, unde anhelosi & suspiriosi dicantur, tussire quoque, sed nihil purulenti expuere, & in pulmonibus interdum fistulationem quandam, vel stertorem audiri.

Difficilem valde, frequentem & plerumque sonoram hanc in asthmate respirationem vocavimus, ut indicemus, quam depravatæ actio pulmonum in- & exspiratoria perficiatur.
Vincentius Alfarinus Crucius de questis per epistolam in arte medicâ cent. 2. p. 93. rationem hujus tam crebro ac densè spirandi necessitatis in asthmaticis hanc tradit, quod, quia pulmonum, fistulis occlusis natura semel & unico inspiratu cor abunde refrigerare, materiamque vitalis spiritus illi suggestere non admodum valeat, ut nec fuliginosos halitus per exspiratum excludere tam facile possit, ideo anhelitu, & quodam veluti suspirio hunc defectum compensare cogatur.

Addimus rò plerumque ideo, quod secus, ac Hoffmannus Inst. med. l. 3. c. 79. §. 4. & alii quidam volunt, existinemus stertorem seu sibilum non necessarium esse ad asthma, multò minus cum Ludovico Mercato faciamus, qui rationem formalem in iis querit. Sufficit enim in asthmate respirationem gravorem & laboriosorem, quam in dyspnoë adesse, licet non semper sit sonora, legi de hac controversiâ potest Bartoletius. c. synops. 3. c. 4. p. 65.

CA

CAPUT SECUNDUM

De

Subjecto.

UT duci bellico ad res suas probè gerendas non sufficit, nosse hostem adesse, sed explorandum quoque est, ubi ille lateat, anque, & quomodo ibi munitus sit & vallatus, ne dubiam fortunæ aleam subeat ; ita medico morbi focus & locus probè explorandus, ne ignoratis his remedia præscribantur in cassum. **S**UBJE^CTUM itaque affectus nostri, principale quidem, seu locus primariò affectus sunt pulmones cum suis bronchiis, hoc est vesiculæ illæ membranaceæ cum asperæ anteriaræ propaginibus ferè innumeris, tam extra-, quam intra parenchyma dispersis, de quibus legi potest *Malpighius*; negari tamen haut potest, quod interdum ipsi pulmones aërem recipientes, interdum viæ, per quas aëris in eos transit, seorsim affectæ reperiantur.

Minus principale subjectum, quod quidam focum appellant, possunt esse omnes respirationi infervientes partes, imprimis musculosæ ac nervosæ thoracis & abdominis, it. stomachus, epar, lien, uterus, quæ prout lassæ tam respirationem difficilem, aut saltim non satis liberam reddendo, quam asthma producendo plurimum possunt.

Ex dictis concludere licet, pulmones hunc affectum interdum pati per essentiam, interdum per consensum, seu quod eredit, ratione loci & foci; quandoque enim propriâ culpâ afficiuntur, quandoque vero peccata aliarum partium, respirationi infervientium luunt, cui scopo velificatur communio vicinæ, vel vasorum, vel officii juxta *Theoremara Medica*
Excell. Dr. D. Wedelii Part. II. Sect. I. § 52.

C. A.

CAPUT TERTIUM

De

Causis.

*A*utem tunc demum aliquid scire dicimus, quando per causas cognoscimus, de CAUSIS asthmatis nos jubet esse sollicitos.

Dispescimus has in *immediatas* & *mediatas*, quæ iterum vel *proximiores* sunt, vel *remotiores*.

Immediatæ, seu proximæ causæ vices sustinet insufficiens vesicularum membranacearum pulmones constituentia motus, expansio scilicet & collapsus, quo obstante aer in- & exspirandus non potest legitimè reciprocari, neque inde alteratio & circulatio sanguinis bene perfici.

Mediatæ proximiores sunt omnia illa, quæ aut aeris liberum introitum in asperam arteriam atque bronchia pulmonum prohibent; aut quæ pulmonum expansionem ad aerem sufficienter hauriendū atque emitendum impediunt, id quod rursus propter varias accidere potest causas remotiores. Cum enim in respirationis negotium ritè perficiendum unā cum pulmonibus os quoque, nares, larynx, aspera arteria¹, musculi thoracis, abdominis, diaphragma aliaque plures corporis nostri partes conspirent, præterea quoque aer inspirandus legitimam sui requirat dispositionem, facile perspici potest asthma à variis causis produci posse.

Referemus nos in præsenti saltem potiores in triplicem classem, quarum *prima* continebit ea, quæ asperæ arteriæ propagines per pulmonum substantiam hinc inde dispersas, ipsosque pulmones constringere; *Secunda*, quæ dictas partes quoconque modo obstruere: *Tertia*, ea, quæ locum pulmonum expansioni ad sufficienter inspirandum necessarium præoccupare, vel pulmones ab ipsius occupatione detinere, possunt.

Constringendo pulmones asthma inducunt omnia, quæ

quæ spasmodicè afficere possunt fibras nervosas, ab his siquidem, ut omnium partium contractio & relaxatio perficitur, ita quoque spiritalis fistulæ bronchia, ipsa quæ vesiculae membranaceæ, quin tota pulmonum compages naturaliter & præternaturaliter constringuntur.

Pulmones qui curatiū intuetur, ipsorumque substantiam & compagem exactius considerat, diversam ibidem deprehendit tūm materiam, tūm conformatiōnēm; substantiam nempe membranosaṁ & texturam vesiculosaṁ, ita ut pulmo nihil aliud sit, quām congeries ex innumeris vesiculis membranaceis in vicem consitis, quas intercurrunt vasa sanguifera, ut & nervi, qui expanduntur in filamenta nervea, fibroſa, pulmonum vasa amplectentia, & ab extra efformantia pulmonum plexum reticulare fibroſum, qui extrinsecus ambit pulmonum vesicularum congeriem.

Quando igitur plexus hic nervorum fibrosus præter naturaliter se constringit, palmonum sufficiens expansio ut fiat, impossibile est, sive, ut benè hanc in rem loquitur Joh. Bapt. du Hamel. oper. Philos. l. 2. c. 5. p. 185. nervis, qui pulmonum vasa amplectuntur, convulsionibus vexatis, arteriæ, & bronchia pulmonum arctius constringuntur. Atque hinc valde difficultis, densa, crebra & suspiciofa respiratio presso pede sequitur: Imprimis ubi simul nervorum thoracicorum fibrae præternaturaliter affecta sunt: quemadmodum enim hi ad legitimum pulmonum motum multum faciunt; ita irritati, seque constringentes eundem difficultem redundt & asthma promovent. Quamvis vero hujusmodi asthmatis, alias convulsivi, & Helmontio epilepsia pulmonum dicti, rariores annotationes inveniamus observationes, ideo tamen ab hoc, ad rarissimæ contingere concludere velle absconum videtur. Platerus l. c. p. 419. ejusmodi asthmata nullis aliis pulmonum affectionum indicis apparentibus continuò ægrotos infestasse observavit.

Hujus modi asthmata convulsiva induci plerumque solent ab acidis, acribus, fibras pulmonum & thoracis nervae rodentibus, ipsisque ex sua naturâ nocivis. Potissimum ve-

B gò fu

zò sumi, vapores ac halitus acres, rodentes, ♀ei, arsenicales, quales gas carbonum, zium, Olica, item stannum, bismuthum & ejusmodi alia, ignis torturæ inter operandum exposta exhalant, hunc effectum relinquunt. Videmus hinc stannarios, aurifabros & illos, qui cinnabarim factitiam conficiunt, vel arsenicum aut & vivum sublimant, ut & qui carbonum gas inter operandum ad se trahere non supersede-re possunt, e.g. carminarios, plerumque asthmate torqueri.

Coministratione digni sunt metallarii, qui candea in star aliis inserviendo se ipsos confundunt; Pulmonum quippe malis, in specie asthmate afflignantur særissime; hinc etiam indoctum ac imperitum vulgus hunc effectum à loco sumto vocabulo *die Bergsücht* appellare solet, referente Samuele Stockhufio, celebri Goslariensium medico in append. de montano affectu p. 3. D. Michaelis, Professor quondam Lipsiensis celeberrimus in dissertatione de morbis metallariorum ejusmodi affectu laborantes metavorantes vocat. Posset ergo asthma montanum metavorans vocari. Plura de his vid. ap. Paracelsum in tr. de morbis metallariorum in oper. pract. 1. p. m. 643. it. tr. de morbis ex Pro l. c. p. 478. & lib. de asthmate §. i. Helmontium libro asthma & russia inscripto. Galenus quoque jam olim notavit circa calchanti venas versantes asthmaticos esse.

De ♀atis filis notavit særpius laudatus Dn. D. Wedelinus, quod mulier his ducendis operam navans asthmatica reddit, suffocationis ac mortis metum adstantibus inculcaverit. Hinc medicamentum *Helmontianum*, lib. cit. §. 77. traditum, & à multis singulare & quasi universale experimentum in peste creditum, quando ♀is fumo vase quodam excepto, ipsique probè inclusio vinum affunditur, særpius de die, loco potus hauriendum, it. sufflumigium ex ♀e vivo in peste, mihi non adeò tuta, omniibusque convenientia videntur auxilia: neque aliud mihi perfydebit *Willisius*, licet pharmaceut. rational. sect. 1. c. 6. p. 52. hæc adeò commendet, ut etiam aërem ♀eum, crassum, qualis Londinensis est, phthisicis maximopere conducere tradat. Obstat nimirum, quod vata metallica in dominibus suspensa ab eodem aëre facile corrodi, pulmonesque exul-

exulcerari atque inflammari ab aliis dicantur, de quo videatur *Excell. Dn. D. Bohnius de aëris in sublunaria influxu pag. 79.* it. *Voglerus in dietetico pag. 172.* *Hogelandus in oeconomia animali pag. 117. & 118.* Accedit, quod huic sententiae Willifii contrarietur ipsius conterraneus *Dybbus, Angliæ Cancellarius, in oratione de pulvere Sympatheticæ (reperiendæ in Sylvestr. Rattray theatro Sympathet. p. 90.)* affirmans, quod, qui pulmones habent debiles & infirmos, hoc incommodum illico animadvertant, unde, quoque fiat, ut dimidia hominum pars, qui Londini diem ob-eunt supremum, peripneumoniaci, vel phthisici moriantur, atque continuo fanguinem ex ulceratis pulmonibns exspuentes vitam cum morte commutent. In principio malum hoc curat dicit esse facillimum, & nihil aliud hinc esse opus, quam ut ægri aërem commutent. *Excell. Dn. D. Preses* causam hujus effectus primariam rejicit in gas carbonum fossilium *Steinkohlen* / cum nebulosus ille, quem tempore autumnali & hyemali Londini observavit aëris, manifestissime dictorum carbonum odorem *Æcum* naribus exhibeat, notumque sit, quod ibidem propter raritatem, indeque ortam caritatem carbonum lignorum, quos *Schmaltkohlen* vocare solent, fossilium autem abundantiam, duplaremque in comburendo usum, vix centesima hominum pars aliis, quam fossilibus utatur. Accedit huic sententiae saxe laudatus *Dn. D. Wedelius in physiolog. med. p. 154. §. 6.* Respirationem difficultem Anglis frequentem in crassum, nebulosum, frigidum densumque aërem rejiciens.

De asthmate à fumo siali excluso in puello aurifabri scribit *Horflus l. 7. obs. 25.* quemadmodum & inunctos ob luem Gallicam ex sio saxe asthmaticos fieri asserit *Thomas Grosius Medicus Italus de morbis capitis & thoracis p. 461.*

Solent præterea alii quoque vapores, halitus, aut sumi copiosi, acres, vel crassi, pingues, putridi in cryptis, & locis angustis inclusi, it. ex navium carinis exhalantes, nervos irritando, & pulmonum vasa obstruendo difficultem respirationem, asthma & mortem ipsam intrantibus, ibique ad tempus commorantibus, inducere. Referri huc aliquo modo potest

vapor musti fermentantis, & cerevisie nova; videmus enim illos, qui cellas, ubi tales potus repositi sunt, intrant, nisi mature retrocedant, prosterni, spasmodicos pati motus, & suffocari; Si vero recesserint, aut ab aliis inde exportati fuerint, cum difficultate summa & anhelitu aerem trahere.

De vapore ex lixivio & calce idem notat *Gregor. Horst.* Tom. 2. obs. 4. Familiare hinc est asthma iis, qui saponem & candelas conficiunt, it. dolariis, braxatoribus & similibus. Nam ejusmodi fumi & vapores tum fibras nerveas partium respirationi inservientium irritant, exsiccant & constringunt, tum ob densitatem & copiam pulmones nimirum subito & cum impetu implent, eorum motum sufflaminant, & pro renata plane tollunt, sicque non tantum anhelosam & difficultem respirationem, sed etiam suffocationem ipsam inducere possunt. Nobiscum sentit *Fortunatus Fidelis de relationibus medicorum*, (qui liber plures amatores sperans, licet bone nota alias, autorem dissimulans, *Thome Reinsii* nomen praefixum gerit, & *schola Jurisconsultorum* audit) l. 4. c. 3.

Ex dictis patere spero, quæ pulmones constringendo difficultem & anhelosam generare possint respirationem, quamvis non negem eorum haut pauca simul pulmonum angustos canales obstruendo id praestare, & sic ad secundam quoque classem, quam nunc aggrediemur, referri posse,

In hac obstruentium classe alia *solida* sunt, alia *humida*, alia *vaporosa*, eaque vel ibi nata, vel aliunde eō delata.

De scholarum pulvere refert *Helmontius lib. asthm. & tuss.* j. 24. quod monachus quidam, quoties excitatus pulvis, penè praecluso anhelitu moribundus jacuerit. Hinc etiam lapidicæ à pulvere subtilissimo, quem inter laborandum attrahunt, qui etiam clausam vesicam suspensam transit, asthma contrahunt. vid. *Dimerbr. anatome p. 510.* & *Walaeus operum l. 2.c.13.* *Velschius Ephemerid. German. ann. 1. obs. 158.* qui tussim siccissimam cum materia calculosam calcem referente, item phthisin ac hæmoptysin à catarrhis lapidescentibus notavit. *Epiphanius Ferdinandus hist. med. 48. p. 145.* de asthmatico suffocationem minante narrat, quod lapidem ad magnitudinem fabæ, cine-

cineritii coloris & asperum excreverit. Plura de his mortem inferentibus habet. *Job. Rhod. cent. 2. obs. p. 67. Hæferus Hercul. Med. l. 2. c. 2. p. m. 146.* & *Platerius obs. l. 1. p. m. 168.* memorat se in quatuor ægrorum asthmate laborantium pulmonibus calculos innatos reperiisse, atque inter hos tertium exscreatione rejectum fuisse, quartum vero in pectori circa jugulum, in medio interspientium thoracis membranarum, glandulis illis accrevisse. Articulum pollicis æqvavit calculus iste, cuius mentionem injiciunt *acta Danica ann. 1671. & 1672.* asthma generans, tussique tandem rejectus. Adstipulatur dexteritas anatomica *Excell. Dn. D. Faſchii,* patroni & præceptoris mei plurimum venerandi, qui in pulmonibus asthmatici cadaveris lapillos inventos testatur.

Sæpius vero hi observantur seorsim in substantia pulmonum ac bronchiis, quam in utrisque simul; *Fabrit. Hildanus cent. 2. obs. 29.* in asthmatici cadavere in pulmonum substantia lapidem prædurum & undique asperum nucis juglandis magnitudine validissimam quadam tunica carneâ inclusum invenit. *Helmontius* partem pulmonum lapidescentem observavit, *tr. astm. & tuss. §. 46.* Et videtur arthriticos, nephriticos, hypochondriacos conspirantes (ut loquitur *Exc. Dn. D. Wedelius Theor. p. 94.*) faciliter hoc vitio corripi posse, cum à dispositione ad habitum facilis detur transitus. *Vincentius Alzarius Crucius loco supra cit.* in illustrissimo quodam principe ex doloribus nephriticis, propter varios, asperos, angulares & aliquos valde acutos calculos intra unum ex ureteribus impactos emortuo, dissecto cadavere varios invenit in pulmonum substantia lapillos, formæ potius latioris, omnino leves, qui exsiccatis instar spongiæ foraminibus pervii visi sunt. De calculis bronchiis & asperæ arteriæ extus insidentibus observationem vide ap. *Theod. Kerkringum spicileg. anatom. obs. 27.*

De generatione horum videri potest *Schneiderus de catarrhus l. 3. p. 232.* & *Fernel. Patholog. l. 5. c. 10.* Plura de his desiderans evolvat *Foresterum obs. l. 16. 10. Bartholin. de palm. p. 33. & seq. it. Scaliger. Exercit. 108.*

Referre hoc placet memoratu dignissimum epar gallinæ vulgaris lapidescens ante aliquot dies Excell. *Dn. D. Preside transmisum*, meisque oculis & manibus ab ipso expositum: emerat nempe vicina ipsius à quâdam rusticâ gallinam vulgarem, quæ vix respirare poterat, ita ut *Dn. D. Praesidi* asthmatica videretur, eâ maestata, cum coqua ani sphincterem abscondisset, ut intestina extraheret, digitum in abdomen gallinæ intromittere non poterat, quia rentens quid ibi obstat observabat, quod oculis admotis videbatur instar lapidis, ampliato igitur foramine extraxit epar planè ferè lapidescens atque admirandæ & stupendæ magnitudinis, quod pugnum superabat, & pendebat tres partes libræ & unciam cum scrupulis duobus. Sed hæc ὡς εἰ ταχέσθω.

Abscessus eriam, tuberculæ, it. steatoma & ossa in pulmibus reperta asthma producere posse ex oculatâ & sensatâ experientiâ probat *Epiph. Ferdinandus I. supra cit. it. Schenckius in obs. l. 2.* Sic de vasculis variis è pulmonibus asthmaticorum per tracheam rejectis scribit *Hollerius de morbis internis* p. 685. De vomicâ pulmonum vid. *Galen. l. 4. de loc. affect. c. 7. & 8.* Plura, quæ vel compressione, vel constipatione liberum aëris transitum pulmonibus denegare & asthma inducere valent, ex auctoribus adducere possem, si tempus & institutum permetterent.

Humorum culpâ accidit asthma, quoties aut ipsa massa sanguinea copiâ peccat, vel præter naturam ebullit, vel impetuofius ad pulmones ruit, vel quoties circulatio ipsius impeditur; aut quando humores viscidæ, pituitosi, fuscident, ut & nimis tenues serosi ad pulmones sensim, vel copiosè delabuntur, acibidem congesti, & detentii lentorem contrixerunt, it, tales ibi nati sunt. In sanguine & humoribus ad asthma disponendis haut parum valet aër inspiratus, vel ambiens frigidior, humidior & calidior. Observantur hinc ut plurimum affectus hi catarrhales tempore veris, hyemis & autumni, in quibus tempestas admodum variabilis, & mutatio quandoque nimis subita, quandoque vero tardior, plerumque tamen frigidior & humidior observatur. Æstas nimium fer-

fervens, quia humores multum liquat, & ad fluxum excitat, in dispositis ad pulmones eos defluere & asthma producere facit.

Confert hoc quoque; suum illa aëris subitanæ mutatio, quando, qui variis de caufis v.g. à laboribus, saltatione, cursu, arte pugillandi, à nimis calefactis hypocauſtis incaluerunt, subito vel frigidi potus ingurgitatione, vel pectoris denudatione, balneatione & state in aquis fluentibus, aut aliis modis aëri frigido corpus exponunt, atque sic de contrario in contrarium ruunt; ob pororum enim subitanæ constipationem vapores per eos exitū propter motū quærentes, nunc vero impediti, retrocedunt, turbant humores, eos vitiant, incrassant, & haut raro cum impetu in pulmones ruere faciunt, sicque asthma, producunt. Legi de his possum observ. Plateri it. *Med. Crit. Amman. cas. 59.* Carolus Piso pag. m. 222. refert, quod mulier asthmatica curata, in Februario, manè imprimis ac vespere aëris injuria se exponens, recidivam passa sit. Conf. Schenk. observ. l. 2.

De frigidi potus ingurgitatione, imprimis post nimium motum, ipliusque noxā, quodque pectoris hydrops inde, quandoque emergat, legi potest *Carol. Piso. l. c. p. 223. it. p. 195.*

205. 213.

Ex motu quoque sanguinis vitiato, & quidem *aut* impedito, idquod fit vel culpâ venæ, vel arteriæ pulmonalis, vel utriusque obſtructæ, vel si etiam cordis alteruter ventriculus obſtaculum contineat, ut inde compedes circulationi sanguinis & consequenter respirationi injiciantur; *aut* auctio ob nimium cursum, saltationem, risum, it. Venerem, potum, asthma oriri posse certum est. Ira, terror & alii animi affectus tūm *etiam*, tūm etiam turgescentiam sanguinis & majora quandoque post se trahunt. Verbo, quod à legitimâ circulatione commoda, tot ab ejus defectu & excessu incommoda metuenda vid. *Thom. Bartholin. diatrib. de pulm. c. 2. p. 27.* It. *Willis. de medic. oper. scđt. 1. c. 2. p. 26.*

Pertinent hoc quoque excretiones variæ sanguinis & seri alias conservatæ suppressæ, si scilicet nec per debita loca, nec justo tempore, quæ evanescere natura vult, v.g. per \square am, alvū, sudorem,

dorem, aut insensibilem transpirationem, it. per consveta ulcera v. g. fonticulos, aut ulcera antiqua evacuentur, ut innotescit ex Rhod. obs. 27. cent. 2. it. ex Carol. Pison. p. 176. & obs. 49. p. 191. Job. Theod. Schenk. de sero sanguinis pag. 56. & Christoph. Benedict. in theatr. tabidor. p. 43. qui notanter addit, si malo superveniant, feri excretiones cessare illud.

Sequior sexus, si menstrua vel lochia non debite fluant, valde ad asthma propensus. vid. Poter. cent. 2. obs. 16. p. 116. & Zaceutus Lusitanus hist. 2. l. 3. Neque sanguinem hunc facile ad pulmones viam invenire posse dubitat, qui quandoque eum per os rejici ab experientia edocetur.

De herpete, vel serpentine curâ aniculae imprudenter percussis vid. Lindenius in Coll. Med. M. S. ad Hartmann. l. 2. c. 94. De achoribus à toto capite manantibus intempestivè suppressis Carolus Piso l. 1. p. 192. De podagrâ luto marino repulsâ Benedictus theatr. tabidorum Exercit. 10. p. 45. De ulceribus rheumaticis intempestivè suppressis, vel clausis asthma generantibus nos erudiunt Eph. German. ann. 1. obs. 105. & Timaeus passim in epistolis & responsis suis inculcat, ne quis hujusmodi ulcera sine sufficienti evacuatione claudat, quia cœcitatem & alia mala, imò mortem ipsam quandoque inde oriri memorat.

Vaporosam, vel potius flatuosam quoque asthmatis causam esse posse testatur non solum Lindenius Melerem. l. 2. §. 54. pag. 100. Sed etiam observations ex praticorum libris id confirmant. Flatus sanguini commixtos accusat Heurnius de morbis pectoris cap. 4. eosque pulmones & vasa sanguifera extendere tradit Fienus de flatibus c. 9. Bartolinus de pulmonibus c. 47. & 48. nec non Bonetus sepulchret. anatom. l. 2. sect. 1. obs. 147. it. Hæckster. obs. med. decad. 9. cas. 9. p. 370.

Quæ tandem locum expansioni pulmonum ad inspirandum necessarium præoccupant, vel pulmones ab illius occupatione detinent, variii generis sunt. Sic luxationes vertebrarum colli quandoque asperam arteriam comprimendo, ne sufficierent expandi possit, asthma generant, quod in percussis circa occiput, vel vertebrae colli videre est, ut inquit.

Sorbait.

Sorbaït Med. præcl. p. 10. 44. Sic hydrops ut pulmonum, ita,
 & thoracis asthmaticos facit, vid. *Carol. Pijo l. c. obs. 52. & seq. Joh.*
Theod. Schenk. de sero Sanguinis p. 55. Item *Trufphonus de respiratione*
 pag. 70. in chlorosi, hydrope atque omnibus cachecticis difficili-
 lem respirationem sœpe oriri à ventriculo, intestinis aut abdo-
 mine flatu vel humore distentis, unde pulmonum regio arcti-
 or fiat, & diaphragma sursum tendatur, testatur. De hy-
 pochondriis flatibus refertis & diaphragma comprimentibus,
 ipsiusque motum impedientibus vid. *Riverius in præx. med.*
Gibbosos ob angustiam pectoris in asthma pronos, imprimis
 autem illos, qui specie gibberis λέρωτες vocatæ laborant, quan-
 do nempe spinæ introrsum sunt conversæ, notum est. Cate-
 rūm de vitio conformatioñis thoracis eleganter differit *Sen-*
guerdinus in osteolog. p. 39. verbis Spigelii allegatis. Thorax im-
 mobilior redditæ ab obesitate nimia, ejus musculos ut & cor a-
 liasq; partes occupante, asthmati plerosq; obnoxios reddit. Fo-
 res etiam pandunt huic malo virgines Terentii junceæ, quibus
 major cura formæ, quam sanitatis, ut etiam in has invehatur
Hoeferus in Hercule medico l. 3. c. 1. A compressione forti thora-
 cis derivat quoq; asthma *Deodatus in valetud. p. 167.* Ideò anfam
 huic malo suppeditare queunt, qui arti pugillatoriae dediti,
 iectus vel pulsus validos thorace ac abdomine excipiunt, quip-
 pe quo mucronata cartilago facile incurvari atque asthma ac-
 quiriri datur. Conf. *Sennert. pr. med. l. 2. p. 2.*

Præter dicta huc pertinent corpora alia, e.g. excrecentia,
 vel materia copiosa, steatomata, ulcera, it. fetus, mola in ab-
 domine contenta, quia hæc partes respirationi inservientes in
 officio suo impediunt. *Kerkring. l. a. obs. 89.* difficultatem re-
 spirandi atque mortem in quodam deduxit à facco membran-
 aceo sub diaphragmate latente, in quo quadraginta unciaæ
 aquæ post mortem repertæ fuere.

Pulmones costis vel pleuræ adnatos hujus affectus reos
 pronunciat *Joh. Daniel. Horstius Manduct. ad med. p. 77. 80. & 82.*
Helmont. l. c. §. 46. & 47. & Tulpianus l. 2. obs. 17. Contra verò à re-
 atu eos absolvunt *Fortunatus. Plempius in F. M. l. 2. p. 133. & Kerkring.*
Spicil. anatomi. obs. 72. p. 144. Utriusque partis sententia non-
 desti-

destituta est argumentis *ad hanc* conformatis, quæ hoc apponere per brevitatem non licet. Probabilius autem videtur, quod, cum in multis non asthmaticis hic accusatus pulmonum coalitus se obtulerit, ab hoc solo asthma deduci haut possit; sed plerumque, ubi suspirium & dictus pulmonum status apparuerunt, alia labes etiam adfuerit, vera asthmatis causa, ut duobus exemplis confirmabimus, alterum ex *Eph. Germ. ann. 1. obs. 68.* promentes, ubi phthisicus & simul asthmaticus pulmones tanquam clavis pleuræ affixos exhibuit, sed præterea quoque hos duplo majores, ac solent, & pure ac scirrhis referatos; Alterum verò ex *Colleg. Pathol. saec laudati D. Wedelii*, qui suspiriosum 60. annorum aperiens pulmones penitus quidem adnatos, juxta tamen ichore repletos se offendisse dicit. Sic dicta pulmonum connexio cum labe sociâ pluribus confirmari, præterea plures quoque aliae causæ adduci possent, nisi abrumpendum esset; video enim hoc caput præter spem excrevisse.

CAPUT QUARTUM

de

Differentiis.

DIFFERENTIAS asthmatis causa, locus, pars affecta & modus generationis variant. Dividunt alii asthma in siccum & humidum; ita ut hoc à sanguine & sero peccante, illud à causâ acri pulmones rodente, exsiccante, vel spasmum inferente aurâ oriatur.

Aliud diuturnum est & perseverans, aliud recens & remittens, vel periodicum.

Asthma quiescens facile resuscitant ira, terror, timor, aliique animi affectus, qui desinent nullum in pulmone vestigium relinquunt, veluti in aliis morbis convulsivis non infrequens vid. *Rolf. diff. anatomi p. 184.*

Datur etiam asthma hæreditarium, quod quandoque in nepotes transplantatur, licet in filiis non emergat: in his quippe latet, in illis autem ex ideis seminalibus se evolvit, prout

§§ (19) §§

prout diæta, locus, & alia ad minicula illi velificantur. Æmulari hoc videmus plantas quasdam locum congruum amantes, ubi citius ac felicius crescunt.

CAPUT QUINTUM *De.*

Signis.

UT Judex secundum acta & probata sententiam latus teſtibus habilibus indiget; ita medicus de morbo sententiā latus, certis signis cœū teſtibus caere nequit:

Signa hæc de præſenti ac futuro ſtatū informant. Qui in juvenili atate poſt cibum anhelant & aliás deſtillationib⁹ & tuſſi ſubinde corripi ſolent; item qui anguſtos habent pulmo-nes arctamque thoracem, hi ad anhelationes & asthma oppor-tuni ſunt. Facile quoque asthma incurruunt illi, qui vel na-turā, vel otio, vel vicius intemperantiā redditi ſunt obefiores. Vid. Laur. Scholz. Conſil. med. 92. p. 245. & Franciſcus Feynens Me-dicine Pract. l. 3. c. 5. p. 348.

Præſentem hunc affeſtum produnt in ſenſus incurrentia v. g. respiratio diſſiſilis, crebra, denſa, quaꝝ dyſpnoeā major, orthopnoeā verò minor, præſertim ſi quādam ex ſupra diectis cauſis præceſſerit, ſi excreta & retenta non debito modo ſe-gerant, ſi tempeſtas ſubito irruat frigida & humida, vid. Comm. Aph. 5. 13. 17. 22. & 23. ſi noctu vehementius urgeat, ac interdiu.

Si ab aëris asperitate, adeſt ſæpe raucedo, coryza, tuſſis, ſputi fluidi ejeſtio & ſimilia, quaꝝ humidum asthma oſten-dunt. Spasmodici asthmaſis charaeter eft, quod ſimul & ſemel ingruat, nec ſputum adjuṇctum habeat; in iisque, qui aliarum partium ſpazio aliás crebro ſunt obnoxii, notatur aura vel vapor ſpasmodicus nonnunquam etiam ad fauces & gulam uſque aſcendens.

Periodicum quandoque à ſpazio, quandoque à ſangvi-ne ſeroque tūm quantitate, tūm qualitate peccante, turgeſcente atque pulmones rumpente, proficiſci potest. Turge-
ſcen-

scientia autem illa innotescit ex pulsu, urinâ, febri, calore & fudore subito, diaphragma spasmo videtur constringi, Zona quasi observatur ligare atque detinere illam partem, urget in dorso angor & dolor quasi premens ibi, ubi adhæret vertebris diaphragma, quoties inspiratione aër in pulmones introitum affectat.

Quando hypochondriacum malum stipatur asthmate, illud patefit ex tristitia, torpore, alvi difficultate, item tumore aliquali in sinistro hypochondrio, magis flatibus intestinum diffidentibus, quam magnitudini lienis tribuendo.

Si à ventriculo, præter alia id significant ructus, nausea, conatus vomitorius, aut vertiginis insultus.

Tubercula, it. vomica, ut & ulcus pulmonum plerumque innoscunt tandem ex sputo cruento ac purulento, cui, si phthisis vel hectica juncta est, febris lenta, sudor frequens, appetitus prostratus, macies, vires prostratae &c. hunc hostem manifestant.

Quoad Prognosin ait *Lindenius l. 3. §. 6. p. 227.* per se longum esse asthma; sed longius, quod à pituita, quam quod ab ichore est, it, notatu digna sunt quæ in *Coll. M. S. l. 2. c. 49.* habet verba, scilicet: haec tenus nullum asthmaticum ex toto restitui, pluribus tamen opem attuli & curavi multos, qui si bene vivant, bene habent, si errorem committunt, recidivant in asthma. Neminem novi, qui asthma inveteratum curavit. Alioquin id senum fidus est Achates usque ad urnam, ut significat *Hipp. 2. Aph. 40.*

Cæterum salus aut mors prædicenda, ex causis & subiecto hauriri potest. Consentit *Cous lib. prognost. comment. 2. l. 6.* docens, quod in asthmate mortem prænunciet virium ægrilapsus, morbi robur atque renitentia.

Decollat itaq; spes, ubi præter haec tenus dicta cum gibbere est junctum asthma, effato *Hippocratis 6. aph. 46.* ubi particula eis postnotat, ut Græcæ Lingue cultoribus notum, vult itaque textus, quod si gibbus asthmati, (gravis morbus gravi alteri) accedat ante pubertatem, lethale sit. Si in juvenibus à siccitate pulmonū, vel sola, vel etiam integri corporis macie comite perse-

perseveret , nec à sola spasmatica causa superabili , eventus dubius , nec melior hæreditarii (mos enim horum morborum pejor est , quam adscititorum) spes affulget.

Lethale etiam symptoma juxta 4. Aphro. declaratur spirandi difficultas & delirium , quod accidit in febribus non intermittentibus . Malum quoq; est , si post morbos acutos pleuritidem , peripneumoniam pertinax , siquidem tabes , ulcus immedicable , aut similis labes vix superabilis adesse inde colligitur . Lethale porrò in pueris , item si anhelitus per os & nares exiens frigidus , tardus & parvus , si cogitur super pedes stare , anhelitum habere volens vid. *Forst. obf. I. 16. 10.* Periculosum juxta *Pereum in nosolog. harmon. dissert. 18.* Spiratio tremula , spiritus inæqualis , inordinatus , intermittens , deficiens , parvus , tardus , itemque pulsus ex tardo factus nimis creber , languidus , intermittens , syncope , mortis sunt nuncii.

Tusis si in vehementi asthmate prius adfuit , quandoque non sine periculo cessat . Si eidem gravi soporosi affectus jungatur , vita periclitatur vid. *Carol. Pison l.c. p. 222. Raymund. Jo. Forst. Profess. quondam Patavinus celeberrimus Consult. & Resp. med. 74. cent. 3. pag. 338.* asthmaticorum plerosque in hydropem prolabi obseruavit , rationem hanc subiungens , quod , cum justâ ac consuetâ deficiente cordis ventilatione calor ejusdem innatus necessario patiatur , fieri non possit , quin & calor ab eodem influens ad jecur diffusus valde langueat & labefactetur . Idem consult. 7. cent. 2. p. 133. dyspnoeam levem neglectam in asthma , & tandem in orthopnoeam mutatam obseruavit .

Contra autem meliora sperare jubent vires ægri adhuc fortes , causa sublatu facilis , si medicamenta benè operentur , æger sit juvenis , morbus oriatur à frigiditate , vel inæquali aëris mutatione , graviora alia non adfint symptomata . Si in febribus accidat , si sequatur evacuationes sanguinis vel seri ordinarias suppressias , haec autem revertantur naturâ vel arte , aut per alias vias fiant , si medicamenta in tempore adhibeantur , quod omnium primarium est . Sed ad

CAPUT SEXTUM

De

Curatione.

Vetus asthma mirabile phantasma, quod nullum curat cataplasma, quod sicut in juvenibus curatu est difficile, ita in senibus incurabile, verba sunt *Hertordt in crocologia p. 124.* miserè miseros solantia, nisi latiora his adderet: qui potest sperare nihil, desperet nihil; ubi desperatum, adhuc crocus solabitur.

Non novum scilicet est, quòd quandoque prognostico relieti è mortis faucibus eripiantur, si accuratam medendi methodum usu probata remedia secundent; duo enim hæc in medicinâ utramque faciunt paginam & possident famam conciliant. Cæterum si arma hosti arcendo sufficientia teneat, iisque rectè utatur medicus, officio suo functus est. Resistendum autem morbo non solum præsenti, sed etiam futuro.

In paroxysmo requiritur aër temperatus, qui tamen magis ad calorem, quam frigus inclinet: in primis ab eo sibi caeant, qui spasmodico laborant asthmate.

Ubiam in advetet medicus *σπασμὸν* sanguinis, atque ita V. Sonis indicans adesse, seposita religione *Helmontii* in memoriam sibi revocet illud *Epiphani. Ferdinandi hist. med. p. 145. ex Hipp. aph. 6. l. 2.* Quicquid medicamenta non sanant, ferrum sanat, quicquid ferrum non sanat, ignis sanat, quicquid ignis non sanat, incurabile est. Elegans hanc in rem est locus *Harvæi exercit. 3. de circulat. sang. p. m. 233.* in quo se vidisse ait asthma periculosum ob sanguinem excandescensem, & intumescentem, quâdamque fermentatione inflatum, (sicuti effervescent mel & lac) à quo adeo distenti pulmones, ut suffocatum fuerit animal. additque se expertum esse à suffocationis asthmaticæ summo discrimine cucurbitis affixis & multâ subito gelidâ attusâ liberatos fuisse non paucos. Quin ipse Rio.

Riolanus asthmaticus per triginta annos solâ V. Sone restitutus dicitur.

Cauteria, cucurbitulas & frictiones in & extra paroxysmum laudantes respiciunt ad derivationem ac revulsionem circulatione sanguinis avertentes causam. De fonticulis refert *Helmontius*, quod juvent eam saltem ob causam, quatenus totalem massam minuunt, tam laticis, quam cruris alimentarii. *l. asthm. & tuss. §. 74.* Si à fluxilitate seri ortum mitius affligat, nec periculum in morâ sit, purgantia conveniunt; magis tamen proficia, (ut omnia medicamenta asthmatica) in formâ humidâ, quam siccâ. Thoracis quandoque addita refractâ dosi citiore opem pollicentur. Caterum an in ipso paroxysmo licita, docet *Sennertus l. a. Ludovicus Septal. Animaadvers. l. 6. §. 140. p. 176.* ea in paroxysmo rejicit, ne irruens materia ad locum imbecilliores & solitum ruat, & futibò ægrum interimat suffocando, contra ibidem §. 135. p. 174. legitimum tempus exhibendi tradit.

Quod ad vomitoria spectat, quidam in excessu audaciâ, quidam vero in defectu timore peccant, illud facit *Rulandus* in obseruat. qui ubique vomitoria adhibuit, ut ex cent. 1. obs. 56. cent. 3. obs. 96. & plurimis aliis liquet. Idem ∇ am suam benedictam, (cujus genuina descriptio in cent. 5. obs. 95.) à 3j 3j, panaceam asthmatis salutat. Convenit hæc, ubi vitium inventriculo, in asthmate præcordiali, ubi pulmones integri, tunc enim quandoque totum absolvunt negotium, effato *Wedel. Collag. Pathol. it. in Disp. de vomitoris.* Si scilicet nullum contra indicans sit. Si enim in vehementi suffocatione vomitoria exhibeantur, periculum suffocationis absolutæ immisere ait *Ludov. Septal. l. c. §. 136. p. 174.* Asthmaticum citram vomitum spontaneum suffocatum fuisse scribit *Sylvat. cent. 2. consil. 49.* Seliguntur huic usui sirupus emeticus Angeli Salæ, oxymel de Peto Quercetani, & *flus* emeticus ad compositionem Wedelii, variis formulis aptus.

Clysteres quoque in paroxysmo (licet *Septalio l. 6. animadvers. §. 142. p. 176.* male audiant,) nisi summe exsiccata sint corpora, & ulceræ pulmonum, alvi fluxus, sudor nimius obstant,

stent, profunt. materiam quippe ad partes ignobiliores videntur, quibus addi purgantia & stimulantia queunt. Si quis malum moram non ferat, ut clysteres artificiosè confici possint, ex chamomill. in aqua vulgari coctâ, additis sale melle & coleo vulgari; aut ex ∇ a tepidâ electuariis officinalibus, sirupis, unguentis oleis alioq; scopo velificantibus additis, tales injectiones, commode fiunt. vid. Sennert. l.c. p. 327. Præ aliis pueri ac infantes hos requirunt, cum nihil in iis æquè bene serum evacuet, citra quam eductionem lata porta epilepsia panditur. *Lindenius Coll. M. S.* blandè lenientia, & secreti loco commendat rad. tussilag. vel hyssopum in lacte coquenda.

Alias notum, quod, ubi asthma profectum à suppressione serivel sangvinis, status naturalis medicamentis appropriatis restituendus, sic materiâ evacuatâ effectus seu vitium cessabit. Sic si scabies vel podagra medicamentis intemperatibus repulsa, volatilibus à centro ad circumferentiam revocanda est. Commendat *Frid. Hoffmann. meth. med. esf. helen. fumar. Ram. 4is. 3ii.*

Si à fumis metallicis, imprimis $\text{X}ii$ & carbonum, commendat alexipharmacum sudorifera continuata *Olaus Borrichius inact. med. Hoffm. ann. 1673. obs. 79. Hoffm. l.c. extollit decoctū radicis enul. scenicali, $\text{X}rim$ 3ii , & 2 $\text{O}tum$ 3ii . Horstius l. 7. obs. 25. si à X libus, $\text{X}dulcem$, bezoardicum Ore & turpethum minerale laudat. Sumunt etiam quidam ad se præservandum panem bultimo copioso illatum.*

Si à potu frigido, instar omnium bellis experimento *Mindereri* commendatur: posset in forma acetarii exhiberi.

In asthmate spasmatico vel convulsivo *Helmont.* epileptica desiderat: quicquid, inquiens, epilepticum adulterum sanat, etiam asthmaticum *l. asthm. Et tuff. l. 30. Et 40.* Hinc locum habet juxta *Dekerum comment. in Barber. pr. c. 3. Θ X ci c. R. croci & ∇ a cochleariaz, profunt $\text{X}ina$, Θ ia volatilia, castorina thoracicis mixta. Si flatus in culpâ, effentia carminativa *Wedelii* & O dulcis in subsidium vocanda.*

Diaphoretica & sudorifera cum in seri vitiis usu suo non careant, neque hic plane omittenda, sed si indicatio adsit, nec aliud

aliud quid impedit, praescribi possunt. Præferuntur tamen semper medicamenta temperata & alia, quæ sollicita celeberrimorum medicorum experientia pulmonibus specificè tribuit. Sic gummi χ cum, \pm scillit. millepedes commendat Deodatus. Panth. Hygias. l. 3. c. 22. Ludovicus Mercatus de intern. morb. curat. l. 2. c. 4. & ex Areteo Rofinc. Epit. p. 125. Germanis dicuntur die Eselgen / Kellerschaben / latent in cellis sub dolis colore cinerito, aselli quibusdam dicti. Facilius se sistunt, si patina jure calido carnis repleta trabibus, vel parietibus, ubi quietescunt, apponatur. Addendi his ω asthmaticis Michaëlis, bals. Δ anisatus, fœcula ari, δ diaphoret. \mathcal{E} le cachecticum, Gummi χ cum in vini Rhenani $\tilde{\zeta}$ ij & ∇ hyssopi $\tilde{\zeta}$ ij solutum, ω Θ χ c anisatus, fœniculatus. Nicotiana ab Horatio Angenio. Ep. med. l. 4. c. 19. commendata rejicitur à Möllenbroccio medull. prax. Dornrell. l. 3. c. 26. plus videtur ei tribendum in asthmate humido, quam sicco, it. ω ω ω Wedelianæ ex selectioribus & probatis constantia, elixir pectorale, ω belzoardicum, pulveres pectorales, pulvis diaireos reformatus variè miscenda. Egregiam quoque spem pollicetur potio illa, quam in Colleg. Timeano nobis communicavit, quæ ω ∇ hyssopi, tussilag. marrub. à $\tilde{\zeta}$ j. charefol. rorell. botryos à $\tilde{\zeta}$ fl. asthmat. Rudolph. Imperat. 3VI. ω asthmat. $\tilde{\zeta}$ j. elix. pectoral. Wed. $\tilde{\zeta}$ ij. looh ad asthma uifitat. oxymel. scillit. à $\tilde{\zeta}$ ij. M. Sorbait med. pr. part. i. c. 44. maximè laudat sequens ω oxymel. scillit. sirup. de hyssop. à $\tilde{\zeta}$ ij. extr. croc. $\tilde{\zeta}$ j. fl. Θ χ c gr. XXIV, de quo cochlear j. sæpe exhibetur cum $\tilde{\zeta}$ j. sperm. ceti. Ultimum hoc sæpe sacra anchora muliercularum, ad quod configunt, wenn die Kinder röheln/propinatur cum ω amygd. d. vel juculo calido vid. Tim. Ep. & Conf. Ermill. in dissert. de sperm. cet. §. 9. 10. imprimis autem prodest, ubi vitium est ex sanguine in praecordiis. Borellus hist. & obseru. rar. Medico phys. cent. 4. obs. 46. Flores rorismarini, & in defectu eorum folia in vino optimo & melle ad dimidia partis consumtionem cocta, & ante somnum hausta asthmati mirè conserue ait.

D

Ex

Ex his & aliis pluribus simplicibus ac compositis ex Schönbornio, Macasio aut aliis auctoribus hauriendis, medicus exercitatus pro lubitu formulas commodas ægro præscribere potest. Notari vero velim

I. Ut, quemadmodum humores varii, modò tenaces ac viscidi, modo verò fluxiles existunt; ita his remedia accommodentur, neque incrassantia cum incidentibus & beccicha cum resolventibus permutterent, vid. *Exc. Dn. D. Wedelius de med. facult. c. de thoracis. Cæteroquin non prodest medicus, ut potius obſit.* Valet & hoc in opiatis, quæ cum hac cautelâ adhibita spem non frustrantur, resolvunt quippe grumos & vaporum ad diaphragma aditum impeditum, ut idem docet in *Opiol.* p. 110.

II. Cura sit quoque gladiatorum illud: *repete*, talis enim est materia viscide ac rebellis ratio, ut potius repetitis medicamentis, quam vi auscultet v. *Hoffmann. ap. Scholz. in Conf. 92.* Consultius etiam, ubi impacti humores, medicamenta in formâ liquidâ, (ut supra monitum) quam siccâ & spissâ ad scopum consequendum ordinare.

III. Quod secundum prudentissimum *Ludov. Septal. l.c. §. 147. p. 177.* monitum, quamvis ad eundem scopum spectantibus eadem fervanda sit intentio, varianda tamen sint remedia.

Suffimenta quidam adhibent, fidè expertis relinquimus, in paroxysmo non svaldemus, præsertim suspecta sunt, quæ ex arsenico quovis modo correcto sunt, quamvis non defint, qui adhibeant, pro sandaracha Arabum, seu guminjuniperino Granorum sandaracham seu arsenicum substituent, ut docet *Bonetus Mercur. compit. pag. 603.* De noxâ vid. *Anmann. Med. crit. cas. 98.*

Non Oberit quoque in paroxysmo naribus adinota V & bals. apoplect. + rut. in spongiâ oblata. ☩ ci vihosus. *Bruele in pr. med.* svadet pediluvium ex decocto fl. chamomill. melilot. betonicâ, salviâ, sampsticho, roremario &c. vid. *Hof. H. M. l. 2. c. 2.* Si externis opus sit, pectori applicentur empl.

empl. de melilot. diachyl. c. gummat. oxycroc. fil. Zachar.
de spermate ceti, unguentum nervinum , pectorale, de
castoreo & alia.

Extra paroxysmum præservandi scopo quæ conducant,
pro diversis cauſis medicus ex ante dictis facile colliget,:
plurimum autem proderit agrum ipsum etiam cum medico
morbo aduersari, accuratâ sc. diatâ, cui præter ea, quæ sub ini-
tium hujus capitî tradidimus, addimus, ut

Quoad aërem loca pulverulenta mutentur, vitentur,
aut, si hoc fieri nequeat , nares & os linteo obvelentur .
Guilielmus Fabricius vestem pelliceam cygni singulari proprie-
tate affectui huic aduersari scribit pag. 526.

Cibus sit iunctus, morbo & cauſis contrarius, non crudus,
crassus & flatulentus; lactis, viscidorum, pifcium plerorumque
utus exulet, aut cibi condiantur acetо, baccis juniperi, thymo,
salvia, rōremarino, semine cumini pratenſis, butyro & fac-
charo. Decoctum raparum commendat *Crato Conf. 21.* Præ-
terea ex parciori cibo, quam largiori, melius agrum se habitu-
rum refert *Helmontius l.c. §. 71. & 75.*

In potu caveatur vinum, niſi fit enulatum vel carmina-
tivis ac thoracicis correctum. Cerevisia fit defecata, probè
cocta. Numburgensis ob virtutem ♂sam ac diureticam
egregia. Breyhana non item vid. *Mæb. Epit. p. 520.*

Somnus longior conductit macilentis & quibus servi-
dus est atque agilis sanguis, qui verò cachexiā, vel sanguine,
ac sero viſido prædicti sunt , vigiliis aliquo modo utan-
tur. Decubitum supinum noxiū declarat cum *Aretæo*
Septalius Animadvers. l. 6. §. 144. p. 176. ob strangulationis
periculum. Motus fit moderatus in aëre imprimis crasso,
vel hyemali tempore. Major cæteroquin admitti potest obesitas,
quam macilentis.

Affectus rationis fræno coercendi, imprimis terror,
ira.

Alvus aperta prodest, si non naturâ talis , arte procure-
tur. Urina etiam liberè fluat. Venus non fit nimia.

Omnia tamen hæc ex præscripto prudentis ac rationa-
lis medici ordinanda. Hisce pedem figo. L. B. sicubi errave-
ro, humanitas Tua me excusabit: prodeesse volui & meliora
doceri non erubesco.

TIBI verò ÆTERNE DEVS, humil-
limas persolvo gratias pro summâ, quâ conatibus
meis adspiraſti, clementiâ, devotè obſecrans, ut
eādem benedictione hos poſthac ita dirigas, ut ver-
gant in Nominis Tui gloriam & proximi ſalutem.

A Scendis cathedram doctus,
fertumque reposcis,
Quod dotes animi promeruere
tui.

Perge bonis avibus fructusque la-
boris anhela,
Sic Tibi, ſic patriæ laus eris at-
que decus.

*Convictori dulcissimo
Img. f.*

CASPAR SAGITTARIVS, D.P.P.
Acad. h. t. Rector.
Auspici-

AUspiciis faustis cathedralm concendis
Amice,
Pœoniam, ut capias meritis condigna brabea.
Ex animo grator. D E V S hæc Tu a cœpta se-
cundet!

*Clarissimo Dno. Doctorando de novis
honoribus ex merito collatis gratu-
lor animitus*

P R A E S E S.

IN motum ut fabricæ cieatur terrea,
moles,
concurrit pulsor visque stupenda
triplex.

Ignis vitalis scintillat perpeti nisu,
aër sufflatur, pellitur unda simul.

Tu spiranti auræ dum laxas pectora,
laudem
eximiam meritus dignus honore
clues.

*Clariss. Dn. Doctorandi honoribus, quos ex
merito capesit, ex animo felici-
ter acclamo*

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

D 3

ASTHMA-

B(03)55

A STHMATICOS sanare probas, HÜSELITTE colende; Unde TIBI surgit gloria, fama, decus!

*Nobiliss.Dno Doctorando, Amico pl. honorando,
ex merito collatos honores grat.*

August.Henr.Faschius,D.P.P.

MEr seinen hohen Geist stets zu der Weiß-
heit lenket/
Und nach der Ehren-Burg mit schnellen
Schritten steigt/
Dem wird vor Müh die Ruh/ vor Last die Lust
geschenket/
Das sich die Eugend-Cron auf seinem Schei-
tel zeigt. (Bächen/
Wächst wohl der Lorber auf an denen Faulheits-
Woselbst der Müsiggang in seinen Lüsten
liegt? (chen/
Kan auch da eine Hand die Eugend-Rosen bre-
Wo sich der Faulheits-Gift an ihre Knospen
schmiegt?
Sein Wunsch/ Hochwehrter Freund/
Sein Sehnen und Verlangen
Gieng

Gieng stetig nur dahin/wo Ruhm u. Ehre lebt;
Er mochte nicht am Staub der schnöden Faul-
heit hängen/

An dem sonst mancher Mensch mit seinem
Geiste klebt.

Er suchte seine Lust in Kunst-erfüllten Schriften/
Aus welchen kluger Wiz/und hohe Weisheit
leucht/ (ten/
Die ieho seinem Fleiß ein solches Denckmal stift-
Dem Gedern/ Stahl und Erz/ und steifer
Marmel weicht.

Was der Hippocrates mit tieffem Geist geschrie-
ben/ (sezt/

Und was Galenus hat der Nachwelt aufge-
Hat Er mit Emsigkeit bey unsrer Saal getrieben/
Und sich an derer Schrift und theurer Lehr
ergeht.

Drum muß nun auch sein Fleiß erwünschte
Früchte tragen/

Die Ihm der Musen Gott mit eignen Hän-
den zahlt/ (gen/
Und Ihn bald sezen wird auf jenen Ehren-Wa-
Wo Sammt und Purpur Ihm / sein fluges
Haupt bestrahlt.

Wir wünschen Glück darzu/Glück zu den künft-
gen Ehren/

Der

B(32)58

Der Himmel segne Ihn in seinem Zugend-
Lauf.
Dann soll sich unser Wunsch/Hochwehrter/
recht vermehren/
Wenn jene Stimme rufft: Freund rücke
doch hinauff.

Aus Schuldigster Obligkeit hat dieses
Wenige dem Herrn Doctorando
glückwünschend hinzu setzen wollen
und sollen

Die
Sämtliche Tischgesellschaft.

F I N I S.



ULB Halle
004 216 253

3



K17



